

6 F. 101

ILLUSTRISSIMI VIRI
EZECHIELIS SPANHEMII

Liberi Baronis, & Legati Regii

DISSERTATIONES

DE

PRÆSTANTIA

ET USU


NUMISMATUM

ANTIQUORUM.

EDITIO NOVA.

In qua editæ antea Dissertationes recensentur, multisque accessionibus locupletantur; aliæ nunc primum prodeunt; singulæ autem selectis insignium Numismatum Iconibus illustrantur.

VOLUMEN PRIMUM.



L O N D I N I,

Impensis RICHARD SMITH, & prostant

A M S T E L Æ D A M I,

Apud RODOLPH. & GERHARD. WETSTENIOS, H.FF.

M D C C X V I I.

haud minus ac Arabes memorant itidem, iuxta Æschylum, veteres Geographi, uti haud uno loco Plinius: *Nomades quoque Indiæ vagantur*. Haud mirum vero dici hic ab eodem Tragico *Indos illos Æthiopicis vicinos*; quum ipso *Indiæ & Indorum* nomine dictam olim a veteribus *Æthiopiam* ac *Æthiopias*, & confusa sæpe utriusque gentis nomina, vel ex aliquot Virgilio, aliorumque Auctorum locis constet; immo in ipsa Arabia, quod iam ab illustri Scaligero monitum, collocata sit olim ab aliquot Scriptoribus *India*. Adde, quod iuxta præcipuum ac luculentum rerum Æthiopicarum hac ætate Scriptorem, amplissimum Ludolfum, permulti dentur Auctores, qui ipsos *Arabie & Indiæ* populos, *Æthiopes* vocant. Ἰαποδαμόνες autem *Cameli* ibi apud eundem Æschylum dicti, qui nempe gressum haberent equinum seu celcrem; prout de iisdem Arabibus, qui Xerxi militabant, ait Herodotus, ἡλαυνον πάντες καμήλας, ταχύτητι ἔλειπον ἅβας ἰσθίων, *Camelos omnes equitabant, equis pernitate haud inferiores*. Immo a quibus *Camelis* seu *Dromadibus*, equos longe velocitate superari, tradunt cum antiqui Auctores, & quorum ea de re loca congestit in præclaro opere magnus Bochartus, Strabo, Philostratus, Zosimus; tum recentiores Leo Africanus, Marmolius, alique, qui sua nobis itinera, Asiatica nempe aut Africana, reliquere: puta eos unius diei spatio, conficere amplius centum passuum millia, idque modico viatico, ac decem dies per deserta loca contiuvantes. Hinc non immerito *Dromas* a Talmudicis dictus פיהל נמל seu *Camelus volans*, & iuxta Glossam Magistrorum, qui est in voce נמל cursu velox instar avium volantium, ut obseruat in Lexico suo Talmudico doctissimus Buxtorfius. Haud aliter nempe ac Græci & Romani celeres suos Equos nonnunquam *Pegasos, Volucres, Aquilas*, aliisque id genus nominibus appellarunt (& qua de re infra) ac similiter *volantes equos* dixit Silius Italicus:

Lib. XVI. c. 32i.

*Quisquis suos currus, magnaue VOLANTIBUS iidem
Voce loquuntur EQUIS.*

Quod *Camelos* alioquin ἰαποδαμόνας hic a Tragico dictos, equi horreant, ut nec speciem intueri, nec odorem sustineant sentire, ac inde a Cyro *Camelos* oppositos fuisse *Lydorum* equitatu; ut Aristotelem, Plinium, aliosque iam mittam, tradidit pridem Herodotus.

Lib. I. c. 80.

V.


De RHINOCEROTE & MONOCEROTE in Nummis.

De RHINOCEROTE haud ignota veterum ac recentiorum controuersia; quorum alii fabulosis eundem adnumerant; alii vero unum, alii duo cornua, eademque modo in naribus, modo in capite, modo in humeris etiam posita voluerunt. Visum vero Romæ hoc animal Flauiorum temporibus, non ex Plinio solum, aut Martiali discimus; sed præterea ex nummo Domitiani; ex quo patet luculenter, illud Sæcularibus sub eo Ludis exhibitum, ac in eius rei memoriam ibi expressum, cum uno cornu e naribus, quod vel inditum ei a Græcis nomen satis arguebat, prominente. Unde mirari subit nuperum Historiæ Animalium scriptorem, qui cum duobus cornibus in his ipsis Domitiani nummis depictum refert. Sed cum in hunc errorem induxisse videtur Aldrouandus, & utrumque Pierius; qui hoc ipsum de duobus *Rhinocerotis* cornibus nummo illo expressis ante eos tradiderat: verum, quod

Jo. Jonston.
Hist. Quadrup.
Artic. XI. p.
66.
Hieroglyph.
lib. II.

quod iam auguratus est Aldrouandus, Elephante nobis pro Rhinocerote obtruso. Certe satis Pierum aliosque ei adfidentes redarguunt, cum productæ iam ante superiori sæculo huius nummi icones ab Antonio Augustino, & Sebastiano Erizzo, uiris clarissimi nominis; tum sequens eiusdem effigies illis consentanea, qualis spectatur in duobus hisce Pembrokiani Cimeliarchii nummis, utroque singulari: primo nempe aureo: altero vero argenteo, & quidem ponderis duorum denariorum, quod rarum utique in hac & eorum quidem temporum superstite nummaria penu. Quibus vero æreum adhuc addam huius Domitiani cum signato itidem *Rhinocerote* nummum; unde utique magna fera illius apud Romanos celebritas, quæ in omni metallorum genere signari meruerit, potest facile colligi:

Equitis Aurati
Andree Fontaine.



Ut omnino inde constare possit corruptum esse Martialis locum; qui geminum cornu *Rhinoceroti* in antiquis Poëtæ illius editionibus continuo tribuebat:

Namque grauem gemino cornu sic extulit Urfum.

De Spectacul.
Epigr. xxiv.

Verum ubi pro *ursum* primus illustris Douza *Urum* legendum statuit, suffragantibus dein aliis eruditis, ac editionibus Batavis: & quidem, ut ea verba *grauem gemino cornu*, non ad *Rhinocerota*, sed ad *Urum* referantur. Ο πάλυ vero Bochartus, reiecta hac emendatione, & quæ ei continuo additur, explicatione; quod nempe, ut ei videtur, *Urus* ingens bellua, *gravis* propter *geminum cornu* dici non possit, nec cæteroquin fieri, ut animal Elephanti pene par, a *Rhinocerote* facile fuerit sublatum. Unde legendum putat, *gravi geminum cornu sic extulit Urfum*, ut nempe *geminum Urfum*, id est *duos Urso*, non simul, sed per vices oblatos, vel simul oblatos, per vices extulerit *Rhinoceros*; nisi malit quis, quod addit, *Geticum ursum*, vel *Scythicum* ibidem legere pro *geminum*. Mitto, quam ille ibi insuper adfert, nec minus reiicit, Scaligeri sententiam, qui *Rhinocerotem* statuit esse *geminum cornu*; nempe altero pusillo in fronte, altero in naribus robustissimo, quo audacissime pugnet ac vincat Elephantem. Verum cum pusillum illud in fronte *Rhinocerotis* cornu vere explodit ibidem Bochartus; tum, utut sit, illo cornu, vel tuberculis in fronte, non sublatum a *Rhinocerote*, sed unico, quod in nare habuit, *Urfum*. Quod ut vere est a viro doctissimo monitum; ita illud de *Urso gemino*, & per vices quidem in altum sublato a *Rhinocerote*; singulari illius spectaculi, quod a Domitiano exhibitum prædicat ibi Martialis, nouitati minus utique est consentaneum. Dum vero addit vir magnus, fieri non posse, ut ingens & Elephanto pene par bellua, *Urus* nempe a *Rhinocerote* sit sublatum; idem tamen paulo post de *Monocerote* a Scriptore Arabum *Damir*, cui ille plurimum tribuit, dici obseruat, quod ille cornu, (quod non in nare, ut *Rhinoceros*, sed in fronte gerit) transfixum saepe sublimem tollat Elephantem; & de eodem *Monocerote* ab alio Scriptore Arabe tradi, feram esse, quæ suo cornu fert Elephantem. Dum vero ibidem præterea tangit *grauem gemino cornu Urum* commode dici non posse, quod nihil cornuum gravitas ad *Uri* pondus conferat; haud adtendit ad eam, quam paucis ante verbis adtulit de *Rhinocerotis graui cornu*, ut legendum

Hieroz. l. iiii.
c. 26.

Hieroz. l. iiii.
cap. 36. p. 937.
ed. Lugd. Bat.

apud Martialem contendit, explicationem; nempe *gravi* ibi, id est, *αὐτῶς*, *atroci, diro, molesto, infesto*: & quo itidem sensu, *grauem gemino cornu Urum*, dici omnino ab eodem Poëta potuit. Sed ne his pluribus immorer, illud utique certo statuendum est, haud impingere potuisse Martialem, testem illius spectaculi, & visi in eo Rhinocerotis, qualem modo adductus Domitiani nummus exhibet, oculatum, ut geminum ibi cornu Rhinoceroti tribueret; quique etiam unum cornu duntaxat alio loco eidem feræ largitur:

De spectacul.
Epigr. xi.
Lib. ix. c. 572.

Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat.

Non utique desinabatur Rhinoceros Unicornis, nec Monoceros bicornis.
adv. Judæos, c. xi. adv. Marcion lib. i. c. 18.
Lib. xxi. c. 463.
In Augusto c. 43.
Lib. vii. c. 20.
a Cap. 50.
b Cap. 33.
c Cap. 28.

Ut proinde haud opus sit Plinium, Pausaniam, qui visos a se *Rhinocerotas, Æthiopicos*, ut ille eosdem vocat, *tauros* memorat, Ælianum, præterea, Oppianum, Dionem Cassium, aliosque testes huc advocare, ut unicornem fuisse, sicuti ille a Tertulliano etiam haud uno loco dicitur, hanc feram continuo statuamus. Neque vero sub Domitiano primum, immo ne sub Augusto quidem, ut existimat Dio, & innuit quoque Suetonius, sed iam ante in Pompeii Indis exhibitus Rhinoceros, iuxta Plinium, & dein, quod ille continuo addit, *sæpe visus*. Unde etiam sequutis quoque post Domitianum temporibus, ornasse non semel hoc animal Romanas ludorum editiones; aut alioquin illud in urbe visum, liquet aliunde, ex Capitolino in ^a Antonino Pio, (iuxta veteres eiusdem editiones & scriptos codices) & ^b Gordiano, ac Lampridio in ^c Elagabalo. Immo sub Traiano etiam eandem feram Romæ conspectam, fidem facit nummus ab Occone descriptus, quinto illius Augusti consulatu. Ut pateat inde luculenter, quam vere non a Plinio solum, ut modo vidimus; sed dein ab Æliano quoque sit adsertum, formam illius belluæ, Romanis fuisse notissimam: quippe apud quos sæpe fuerit in amphitreatis visa. Si fides vero habenda est Pyrrho Ligorio, traditur ab eodem in uno Domitiani nummo Rhinoceros cum Elephante, ut videbam nuper in antiquariis eius collectionibus, & de quibus mox, ineditis; quæ exstant Romæ in Bibliotheca Augustæ Christinae.

De Animal.
Lib. xvii. c. 44.

De Monocerote
in nummo
apud Pyrr.
Ligorium.

De Quadrup.
solidiped. cap.
vi. p. 192.

Laurent. Cate-
lanus l. de Uni-
cornu.

Th. Reinesius
Var. Lect. l. i.
c. 2.

Exercitat. cont.
Cardan. ccv.

Neque vero in iisdem collectionibus diuersum ab eo MONOCEROTA memini me vidisse, quem a se tamen in nummo veteri inspectum apud hunc ipsum Ligorium testatur Aldrouandus, Bacchi cantharo humi stanti cornu inferentem, cum inscriptione, ΝΥΣΣΕΩΝ. Suspiciatur vero percussum illum fuisse ab Indis *Nysæis*, in Bacchi sui cultum, ac memoriam victoriarum Alexandri Magni, & reperti in eo tractu id genus Unicornis. Eundem quoque nummum vulgavit Medicus quidam Gallus scripto vernaculo, ac eidem Alexandro Indorum triumphatori tribuit; paulo tamen aliter expressa nummi epigraphæ, ΝΥΚΕΩΝ. Vir autem doctissimus, magnum lumen Germaniæ nostræ literatæ, Thomas Reinesius, recentem illum nummum statuit, peculiari illi destinata commentatione in variæ eruditionis opere. In ea autem id agit pluribus, ut eundem adscribat non Indicæ illi *Nysæ*, sed haud paulo viciniore *Nicææ*, sitæ in Liguriæ & Galliæ finibus; ac legendam proinde auguretur inscriptionem ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Fundus ei huius obseruationis Iulius Scaliger, qui in ea urbe visum a se narrat cornu huius *Monocerotis*; unde quoque illud ab eodem Heroë Scaligero, aut ab alio forte conscio geminæ voluptatis, ad perpetuam rei memoriam æri incisum putat superiori sæculo, ac intuitu Græcorum illius urbis aboriginum, signatum Græco illo nomine ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Neque dubitat vir eruditissimus hanc suam de nummo illo sententiam, ut extra omnem contentionis aleam proponere; immo

pro

pro qua paratus sit forti animo, *tanquam Danais pro navibus Ajax depugnare*. Non vero is ego sum, quibus digiti pruriant hanc pugnae aleam subeundi; aut vero, qui gestiam inde capere solatium, quod cum victus ero, cum Aiace ferar decertasse. Optassem equidem mihi copiam fieri illius nummi, aut iconis inde expressæ; ut de eo liceret certius aliquid statuere; maxime de ætate illius & occasione, qua ille percussus fuit; & an ad remota illa Alexandri M. tempora, aut ad alia eum subsequuta; an vero ad elapsum modo sæculum omnino referri debeat. Sed non licuit mihi hætenus Galli Medici scriptum consulere, quo huius nummi iconem dedit inspiciendam; aut eundem, quod iam innui, in penu antiquaria Pyrrhi Ligorii a me Romæ inspecta observare, a quo primum nummi huius notitia videtur dimanasse.

Illud tamen in Lectoris gratiam, & ad maiorem quandam lucem huius rei, haud alienum erit præmonere: magnam utique fuisse superiori sæculo, quod tu non ignoras, Pyrrhi huius Ligorii in colligendis undique residuis prisca ævi monumentis diligentiam, ac in iisdem delineandis, describendis, in certum ordinem redigendis, & pro captu etiam interpretandis, incredibilem quandam neque satis unquam prædicandam sedulitatem. Hinc optimos illius industriæ præcones nactus est iam olim sibi coniunctos arcta id genus studiorum communione, Antonium Augustinum, Fulvium Ursinum, Onuphrium Panuinium, Annibalem Caro, & his ætate proximum Laurentium Pignorium, omnia clarissimæ famæ nomina. Sed certiores adhuc eius rei testes existant Herculei viri lucubrationes antiquariæ etiamnum superstites, in quadraginta & plura volumina digestæ; quæ integræ adhuc in Taurinensi Bibliotheca, & Romæ magna sui parte, in supellectile libraria Christianæ Augustæ, Farnesiana, & Barberina, instar præstantissimi cuiusdam Thesauri, adseruabantur. Complectuntur vero illæ, tum consueto litterarum ordine, & libris totidem, Geographicam locorum hominumque prisca ævi enarrationem, insertis passim Lapidum ac Nummorum monumentis; tum præterea Commentarios singulares in Græcorum & Cæsarum aliquot Nummos: ac insuper Tractatus quosdam peculiare, ad illustrationem Romanæ omnisque remotæ antiquitatis comparatos: De Religione & Diis Gentilium; Heroibus & Viris Illustribus; Ponderibus; Mensuris; Statuis; Monetis; Funeribus; Re Nautica; Vestiaria; Claris Familiabus Romanorum; de eorum Magistratibus: ac tandem de distinctis quibusdam Tiburis, Villæ Hadrianæ, aliorumque id genus vel rituum vel locorum explicationibus. Dum vero eadem fama & commendatione eruditorum huius, ac superioris sæculi mihi pridem notas, obiter versare licuit aliquoties, facile deprehendi multas latere in iis optimas prisca ævi reliquias, quibus vel maxime, prioribus Inscriptionum aut Nummorum veterum collectionibus, ingens & præclara quadam accessio fieri posset; ac inde in omne litterarum & doctrinæ genus utilitas non levis redundare. Multa enim id genus hodie etiam haud amplius obuia, ibi recondi aduersus iniuriam temporum; multa etiam ab aliis secus aut properanter descripta, accuratius ibi aut fidelius, quam vulgo in editis ea de re libris legi; præter conspicuam singularis cuiusdam in colligendis iis, ac ubi opus fuit delineandis, industriæ laudem. Sed neque illud vicissim dissimulabo, plura passim occurrisse congesta in tam vasta mole, quæ aut dubiæ fidei, aut confessæ videbantur nouitatis; magnam imprimis Nummorum segetem, ipsa

*Judicium
de operi-
bus anti-
quariis
Pyrrhi
Ligorii
ineditis.*

locorum

locorum aut inscriptionum notatione quam oppido singularem. Et quidem erratum videbam frequentius in Græcis id genus monumentis vel tradendis, vel explicandis; adiunctas certe iisdem interpretationes, nullum ferme usum Græcarum aut interiorum alias literarum manifesto nimis arguere. Varia eius rei exempla possem huc adferre, quæ subinde sese mihi ac dolenti quidem ingerebant; & quæ suo loco nonnunquam ac ordine, sed cum pace eius viri, cuius ossa quiescant molliter, lectorum oculis subiiciemus. Siue itaque fatum illud sit omnium vastarum collectionum, in quibus vulgo πολλά μὲν ἐσθλά, πολλά δὲ λυγρὰ, sive ea sit consueta humani ingenii pluribus intenti imbecillitas; sive fucus ab aliis bono ac diligenti viro subinde factus sit; sive nimio omnia vetera ac nova promiscue congerendi studio laborarit; siue reuera maiore animo, ac labore improbiori, quam idoneo prouisu priscae eruditionis & solertiæ illius iudicatrici instructus, rem tantam sit adgressus; id certo mihi constat, quod nec fidem ubique decoquat, nec ubique mereatur, ac in amplissima messe,

Infelix lolium, ac steriles dominantur avenæ.

Unde etiam, si mei voti res esset, malletm ego a viris eruditus ac in literis id genus subactis, spicilegia inde colligi bonæ frugis magna fide & cura, publico usui eximie profutura; ex quo, (uti post hæc olim a me monita, subinde a Cl. Holstenio in suis ad Stephanum, quæ postea prodierunt, Noris factum) sua Ligorio sedulitatis ac industriæ laus maneret illibata; quam ut tota illa qualis exstat farrago promeretur; quæ vel incautis posset imponere, auidis ad quamcunque ciborum nouitatem; vel etiam, ut licet subuereri, auctoris sui celebritati ac meritissimis alias laudibus, haud parum valeret detrudere. Atque candidum hoc meum de immensis laboribus Pyrrhi huius Ligorii iudicium, probatum quoque tuo calculo, citra ullam eius contumeliam prolatum velim; neque certe in alium finem, quam ut inde constet, quousque fidei eius ac auctoritati, quam maximam publica iam illi fama conciliauit, sit tribuendum, de qua hic etiam quæstio vertebatur, & forte sæpius in processu operis mentio erit facienda.

Iterum de Nummo cum Monocero.

Alterum vero hic monendum quoque videbatur, quod nihil traditum videam a doctissimo Reinesio, de altera nummi illius parte, qui istum MONOCEROTA nobis repræsentat. Illud tamen valde fuisset opportunum, ut inde lux maior adfulgeret, quando, aut qua occasione idem ille sit percussus. Proximum est, viros doctos, sed in id genus antiquitatibus parum exercitatos, ad *Nysam* Indicam leui fundamento confugisse, & ad victorias ab Alexandro Magno de illa gente reportatas; qua in re haud difficulter Cl. Reinesio adsentimur. Multa quidem exstant & teruntur manibus Procerum ac antiquariorum Herois huius numismata, proba illa quidem & genuina; sed quæ expeditionum eius Indicarum meminerint, fateor me nondum reperisse. Unde neque audiendus præstans antiquarius, qui in æreo Antonini Caracallæ nummo, in quo Pan cornutus & capripes cum Hirco cernitur, legit ΝΥΚΑΙΕΩΝ, quod Gentile nuspiam legitur, pro ΝΥΚΑΕΩΝ, ac præterea eundem *Nysæ* abscribit, de qua Philostratus, in limite Syriæ & Ægypti, ubi Bacchi templum fuerit magnificentissimum. Verum haud in eoque utique terrarum tractu, collocatur a Philostrato eadem *Nysa*, & Bacchi in ea Templum; sed in India quidem inter Caucasum & Cophinum fluuium, in monte *Nysa*, unde Bacchus dictus sit *Nysæus*: ad quam autem *Nysam* referri

Patin. Num. Imp. p. 245.

Vit. Apollon. l. II. c. IV.

non

non debuit a viro in versandis hisce cimeliis exercitato memoratus ab eo Caracallæ nummus. Quum vero præter *Nysam* hanc Indicam, alias, & quidem nouem urbes eiusdem nominis Stephanus Byzantinus commemoret, sitas in Eubœa, Thracia, Caria, Arabia, Ægypto, aliisque, & plures adhuc e Ptolemæo ac aliunde colligas, haud necesse fuit proinde delabi ad ultimos terrarum Indos, & percussos inde cum Græca loci appellatione nummos accersere: e quo utique terrarum tractu nemo Græcis id genus nummis penum suam antiquariam locupletandam hæctenus credidit. Accedit opportune, quod siue antiquus sit ac genuinus nummus ille cum Monocerote a viris doctis e Ligorio desumptus; siue ad veteris alicuius normam nouo signatus metallo, certe ΝΥΣΣΕΩΝ leui aut obuio errore legerint iidem, aut eum obtruserint, pro ΝΥΣΑΕΩΝ. quomodo, ut obiter hoc dicam, Νύσα pro Νύσα male alicubi apud Athenæum legitur. Occurrunt enim plures nummi, quod videtur etiam fugisse virum doctissimum, & optimæ quidem notæ, cum hac inscriptione ΝΥΣΑΕΩΝ. Percussi vero illi, præter indicatos sub aliis Cæsaribus in nouissimo Cl. Vaillant opere, sub Traiano insuper, Hadriano, Pio, Marco, Commodò, Tranquillina nummos; iique modo cum Deo Luno, modo cum Baccho scyphum effundente & pantherisco; modo cum Diana, Mercurio, Hercule; modo cum Quadrigis, signatoque in iis raptu Proserpinæ. Ad quam vero *Nysam* referri iidem continuo debeant, & an ad unam singuli, an ad diuersas, haud ita liquet: nisi quod nummos cum raptu Proserpinæ, ad *Nysam* Caria omnino spectare, ex alio & insigni quodam nummo ΝΥΣΑΕΩΝ itidem inscripto, cum solemnibus in raptus illius, seu nuptiarum Ditis & Proserpinæ memoriam, festi commemoratione, alibi abunde euicerim. Plures vero nummos, qui *Lunum* exhibent, ad eandem Caria *Nysam* adtinere, vel inde liquet; quod familiaris esset Dei Luni seu Μηνός a Græcis, ut notum, dicti; in illo terrarum tractu cultus, Caria, puta, Phrygia, Pisidia; unde Μηνός Καίμω, seu *Luni* huius vicum appellatum, in Phrygia obseruant Strabo ac Athenæus, in quo autem Μηνός Καρός, (non, ut apud Strabonem, Καρός) seu *Luni Caris* templum fuerit. Quæ firmant alii *Synnadensium* in Phrygia, uti *Saittenorum* in Lydia; *Coloniae Antiochensis*; *Comanensium* præterea; & *Sagalassenorum* in Pisidia, qui eundem Deum *Lunum* signant, superstites adhuc nummi. Etsi eos olim, fide similis nummi, in quo eadem inscriptio cum figura huius Luni, infra vero Bouini capitis, *Nysæ* Euboicæ transcribendos existimauerim. Quod utique de illo nummo sub Valeriano percusso, vere, e primo eius obtuitu, conieceram; quem cum aliis nouissime tum vulgauerat Cl. Seguinus: quod ille ingeniose ad varias Bicornis Lunæ cum Tauro similitudines; ego omnino ad *Eubœam* referebam, cuius symbolum passim in nummis noueram, simile Tauri caput, & in qua Stephanus urbem huius nominis *Nysam* tradit existisse. Quo spectare etiam memineram nummos huius Alexandri, probos illos neque dubiæ fidei, cum adiunctis variis id genus symbolis *Bouini* capitis, *Sphingis*, *Rosæ*, ut vulgo creditur, *Pegasi*, quæ nempe ab Euboicis, Chiis, Rhodiis, Corinthiis, signatos eisdem arguunt. Sed res patebit clarius ex sequenti *Nysæorum* nummo apud Cl. Seguinum, cum Dei Luni effigie.

Epist. II. ad Morellum.

Lib. XI. pag. 580.
Lib. II. p. 43.

Select. Numis. pag. 94.

Ibidem.



Ac distinctionem itaque *Nysæ* Euboicæ, ab aliis urbibus *δμωνύμοις*, additum familiare Insulæ, ac unde ei nomen, symbolum *Bouini capitis*: sicut vulgo in nummis urbium Trinacriæ, seu Siciliae, eam tria crura, notum regionis insigne, solent denotare. Neque mirabitur quisquam eundem *Masculi Lunæ*, ut eum vocat Tertullianus, cultum, apud hanc quoque *Nysam* obtinuisse; quem non apud Carrenos solum in Mesopotamia, aut apud Ægyptios etiam, ut aliunde constat, sed apud Græcos itidem obtinuisse, iam ante vidimus. Sed quod non est huius loci. An vero nummus ille, de quo agimus, descriptus a viris doctis, cum *Monocerote* cornu cantharo inferente (modo constaret de illius nummi *ἀθθεντία*) ad hanc, vel aliam *Nysam* referri debeat, haud ita licet adfirmare. Ob Bacchi tamen memoriam, Cantharo, ut volebat etiam Aldrouandus, abunde indicatam, idem Thracum *Nysæ* haud incommode potest adscribi; apud quos Liberi Patris cultum familiarem, haud minus quam apud *Nysæos* Indos, probant alia monumenta illius tractus, cum iisdem Canthari, pluribusue symbolis huius Bacchi. Gemini nempe aliarum in Thracia urbium nummi, ut *Coloniæ Deulti*, *Maronitarum*, *Pautaliæ*, *Philippopolitarum*, in quibus Lyæus iile aut cum Cantharo itidem, aut hedera coronatus, cum racemo, aut cum aliis cæteroquin solitis eius signis vel symbolis cernitur. Bacchi certe familiarem in Thracia cultum, cum præter alia, eius mysteria, ut de eo veteres, a Thrace Orpheo scilicet reperta, seu, ut de Thracia in genere

Lib. II. c. II. Pomponius Mela: *Montes interior attollit, Hæmon, & Rhodopen, & Orbelon, SACRIS LIBERI PATRIS, & cætn Menadum, Orpheo primum initiantes, celebratos.* Sed magis adhuc faciunt ad nummum, de quo agitur, cum Monocerote scilicet insculpto, qui Cantharo cornu suum inserat, ii nummi, in quibus alia animalia e cyathis id genus bibentia conspiciuntur. Talis nummus *Ilienstium* Mediceus, item apud Abbatem Bracesium, iuxta Cl. Vaillant, in quo hinc Commodi effigies, illinc Aquila, bibens e cyatho, cum adstante Ganymede, & inscriptione *ΙΑΙΕΩΝ*. Hæc vero, si non probant omnino nummi, de quo agitur, antiquitatem, (quod neque hic intendimus) illud saltem euincunt haud incommode, neque illius inscriptionem, neque symbolum etiam animalis cyatho cornu inferentis, nouum alias esse aut insolitum in prisca id genus monumentis: multo minus opus fuisse recedere adeo a lectione *ΝΥΣΑΕΩΝ*, aut ad alteram *ΝΙΚΑΙΕΩΝ* confugere; quum eandem istam *ΝΥΣΑΕΩΝ* præferant alias optimi & antiqui nummi. Unde liquet etiam, quam minus adhuc sit necesse, alteram illam coniecturam *ΚΥΚΕΩΝ*, seu de *potu miscello* hic amplecti, cum ab omni usu eiusmodi inscriptionum plus satis alienam, tum merito ab eodem doctissimo Reinesio prolatam valde dubitanter. Alias plures quoque occurrunt nummi *ΝΙΚΑΙΕΩΝ* *Nicææ* nempe, non Liguriae, sed Bithyniæ, & (quod hic non minus adposite) cum signato etiam Patris Liberi in iisdem cultu; in quibus ille eorundem *ΚΤΙΣΤΗΣ* seu *Conditor* inscribitur; & quomodo *περιπότωρ* illius urbis vocatur a Dione Chryostomo. Addam & illud insuper, haud nouum esse, ut quotidie e-

ruantur

Apolog. cap.
xv.

Lib. II. c. II.

Num. Græc.
Imper. p. 69.

Orat. xxxix.
pag. 485.

ruantur monumenta prisca ævi, & ipsius etiam Herois Alexandri, haud antea visa vel comperta: neque continuo proinde suspecta sit aut labans eorundem fides, ut colligere videbatur vir eruditissimus. An vero nulla plane mentio sit huius *Monocerotis* apud Aristotelem, ut idem censet, nondum ita liquere mihi videtur. Dubium certe illud in ancipiti reliquit Cæsar Scaliger, annon eum forte nomine *ἄσινος Ἰνδικῆς Μονοκέρατος*, *Asini Indici Monocerotis* designarit Stagirita. Easdem certe legas *Monocerotis* vel *Asini Indici* descriptiones apud Ctesiam, Plinium, Ælianum, ut non diffitentur viri docti. Et quamvis quæ vulgo figura *Monocerotis* describitur, ab *Asinina* satis recedat, ut haud difficulter concedam Cl. Reinesio; & nuper ad Plinium id quoque tradenti eruditissimo Harduino; nihilominus vel solus ille *mugitus gravis* seu *asininus*, quem ei tribuit Plinius, facile impellere potuisset Aristotelem, ut eidem *Asini Monocerotis* seu *Unicornis* appellationem tribueret. Firmare id posset luculenter exemplum *Hippopotami* superius adlati; cui cum alias figura ab Equina satis sit diuersa, & magis ad Bouinam accedat, ob hinnitus tamen aut soni cum Equo similitudinem, *Equi* etiam nomen inditum agnoscit Aristoteles.

Ad lib. viii.
cap. 31.
Ibidem.

Neque vero ignotum fuisse veteribus aliquem id genus *Monocerota*, non ex clarissimis solum apud Gentiles scriptoribus liquere videbatur, sed quod quanto maioris erat auctoritatis, ex prisca sacrorum librorum fide, certe haud contemnendo LXX Græcorum Interpretum testimonio, qui illud Hebræorum *רֵם Reem* constanter per vocem *Μονοκέρατος* reddunt, semel autem ab Aquila, ut iam vidimus *ἑνὸς κέρατος*. quo utroque tamen nomine *Unicorne* animal innuitur; illius quidem, ut de eo passim auctores, cum uno in fronte cornu; huius vero in naribus. Adde, quod e Latinis Patribus, non ab Hieronymo primum, ut videtur statuere doctissimus Bochartus, sed a Tertulliano iam ante, & duobus quidem locis, ubi *רֵם Reem* facta est a Mose mentio, illud per *Unicornem* redditur. Ut mittam quod ab eodem viro magno idem animal, sæpius in Veteri Fœdere memoratum *רֵם Reem*, modo *bicornis Caprea*, modo *Unicornis Oryx* statuatur: quæ quam parum conueniant, aut nihil equidem certi de eo nos doceant, quiuis inde intelligit. Quod vero ea voce *Reem*, non iam *Unicorne* aliquod animal, sed *bicornem Urum* designari statuit alius vir doctus, & ad quem accedit in commentario Hebræico novissime edito vir harum litterarum eximie peritus; eo quidem videtur incommodo laborare, quod animal illud esset, ut iam monuit *ἰ πάλιν* Bochartus, a J. Cæsare primum, tanquam in intimis sylvæ Hercyniæ recessibus delitescens, memoratum; priscais autem Græcis, multo magis Judæis & in reliquo Oriente, etsi *boum syluestrium*, facta sit subinde apud veteres mentio, ignotum. Accedit, quod ab omnium veterum sacræ Scripturæ interpretum (ut densam recentiorum phalangem nunc mittam) quorum non spernenda omnino videtur hic auctoritas, illud recedat; qui de *Unicorni* animali, siue iam dictus ita proprie *Monoceros*, vel *Asinus Indicus*, siue *Rhinoceros*, siue etiam, ut aliquid doctissimo Bocharto largiamur, non *Caprea* quidem bicornis, & utroque cornu obuios feriens, sed *Oryx* forte illud explicant. Id vero insuper e dictis hætenus percipitur, & hisce, in quibus nunc versamur, consentaneum: haud mirum nempe fore vel insolitum, si expressa esset in aliquo veteri nummo, qualis ille a viris doctis, & de quo hic agimus, adductus, figura vel memoria animalis huius *Unicornis*. Equidem videas haud infrequenter insolitas

An ignotus Veteribus Monoceros?

Jobi xxxix. 9.

Hieroz. lib. iii.
cap. 27.
Deut. xxxi. 11.
v. 17.
Adv. Judæos
c. 11. & adv.
Marcion. l. iii.
cap. 18.
Bochartus ut
supra.

Boetius Animad. ad V. Testam.
Gussetus in voce *רֵם*

id

id genus feras, aut minus obuias, ad memoriam posterorum, aut ad spectaculi nouitatem, frequenter in iisdem consignari: quod iam indicauimus *Hippopotami*, *Crocodili*, & *Unicornis* etiam *Rhinocerotis* exemplo, ulterius adhuc euincetur. Sed quæcunque sit tandem constans illa veterum Græcorum, Arabum, Hebræorum, Romanorum, ut de recentioribus etiam sileam, traditio de *Monocerote* seu *Unicorni* ita proprie dicto, aut de vi eius salutari, quam hic in medio relinquimus; illud certe constat, male alias hunc *Unicornem*, cum memorato iam antè *Rhinocerote*, a claris Scriptoribus confundi; quod uiderunt iam eruditi. Et hæc obiter ad maiorem quandam lucem illius, in qua versamur, disquisitionis; nulla me cæteroquin cum uiris doctis & harum litterarum principibus committendi prurigine, qua utique non laboramus; neque alias quadam de nummo a nobis haud inspecto, cum signato iu eo *Monocerote*, certo aliquid statuendi fiducia. Sed vel ita illis, & argumento fuit inferuendum. Quibus & addere hoc liceat forte a me animaduersum, ad Plinium nempe, ubi *Orsei Indi simias candentes toto corpore uenari dicuntur*; a nouissimo eius & erudito interprete adnotari. “Indos *Nysæos* hoc loco intelligendos putat Aldrouandus, idque colligit ex Ligorii nummo, cuius epigraphen legit ΝΥΣΣΕΩΝ, cum *Monocerote*, in auersa parte. Viri (nempe Aldrouandi:) errorem in hac epigraphe legenda detegit Spanhemius de *Usu Nummorum* pag. 138. post Reinesium lib. XI. Var. Lect. cap. 2.” Ac Reinesium quidem quod adtinet, id a me monitum ibidem, ut superiora, eaque iam olim edita, arguunt, uiderat Harduinus; ac præterea, abiudicatum quidem ab eodem Reinesio *Nysæ* illi Indicæ, cui cum Aldrouandus tribuerat, hunc nummum; sed alio errore ad *Nicæam*, eamque non illam olim nobilem Bithyniæ urbem, sed ad aliam sitam in Galliæ & Liguriæ finibus retulisse eundem nummum, ut supra diximus, Reinesium; aut uero pro ΝΥΣΣΕΩΝ, in eo ΚΥΚΕΩΝ, de *potu* scilicet *miscello* ab eo lectum.

VI.

ALCES in Nummis.

Haud minus uero e nostro quoque Septentrione, quam ex Oriente ac Meridie, quæsitæ est tandem in solemnibus Romanorum spectaculis celebritas. Testes præ aliis ALCES, feræ olim Hercyniæ syluæ, quas ad Amphitheatrales pompas a Gordiano cum pluribus id genus destinatas, Philippus successor Ludis Sæcularibus exhibuit. Capitulinus: *Fuerant sub Gordiano Romæ Elephantum xxxii. ALCES x. Tigres x. Leones mansueti lx. Leopardi mansueti xxx. Hyenæ x. Gladiatorum Fiscalium paria mille, Hippopotamus unus, Rhinoceros unus, Archoleontes x. Camelopardali x. Onagri xx. Equi feri xl. Et cætera animalia innumera & diuersa, quæ omnia Philippus Ludis Sæcularibus uel dedit, uel occidit.* Unde etiam inter nummos Philippi Filii sæculares, aliquos cum *Alce*, aut *Cerua* descripserunt diligentes Antiquarii: neque tamen inde producta eius iconc. Unum uideas apud Erizzo, cum figura insoliti animalis; quod ille quidem, & incertum & hirco simile contentus fuit obiter indicare; ego uero ad *Alcem* illorum temporum referre non dubitarem.

Lib. VIII. c.
21.
Hard. in Not.
Ibid.

In Gordiano
III. c. 33.

Occo p. 447. &
Biragi p. 350.
Discors. Sopr.
le Medagl. p.
542.